





24.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
DIFFICVLTATE PARIENDI
EX MALA CONFORMATIONE
PELVIS

Q V A M
DIVINI NVMINIS AVSPICIIS
CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM
P R A E S I D E
VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO
D. ANDREA ELIA BÜCHNERO
SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMI PRVSORVM REGIS CONSILIARIO INTIMO,
MEDICINAE ET PHILOSOPH. NATVR. PROFESS. PVBL. ORDINAR.
IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
ET COMITE PALATINO CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS

RITE CONSEQVENDO

DIE XXIV. SEPTEMBRIS CIOCCCLVI.

H. L. Q. S.

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PVBLINE DEFENDET

AVCTOR

DANIEL FRIDERICVS SCHIFFERT

REGIOMONTO-PRVSSVS.

HALAE AD SALAM

E T Y P O G R A P H E O C VRTIANO.



ADIGER ZEITUNG AM 01.07.1923



EXCELENTISSIMO, AMPLISSIMO
DOCTISSIMOQUE
DOMINO
CHRISTIANO
SCHIFFERT

COLLEGII FRIDERICIANI, QVOD REGIOMONTI
PRVSSORVM FLORET, DIRECTORI ET INSPECTORI
PRIMARIO LONGE MERITISSIMO,

PARENTI SVO AETERNVM
DEVENERANDO.

VIR EXCELLENTISSIME,
AMPLISSIME, DOCTISSIMEQVE.

PARENTS AETERNVM DEVENERANDE.

DOMINO
CHRISTIANO
SCHEFFERT



Quamuis TVI memoria mihi nunquam sine insigni quodam animi affectu suborta sit: tamen plane singularis illa animi commotio est, quam nunc apud me sentio, dum hancce epistolam ad TE scribo. Non immorabor enarrandis praeclaris TVIS factis, quibus de Republica optime mereris.

Quan-

Quantum enim **T V V M** sit studium in ex-
colenda perpoliendaque iuuentute, quantum-
que inde commodi societas humana adipiscatur: id dudum laudarunt omnes boni. Rem
potius meam nunc **T E C V M** agam. Quousque
praeteritorum temporum recordatio animum
meum subit, eousque nihil certius esse depre-
hendo, quam quod ea omnia a **T E** perceperim,
quae ad educationem rationi conformem per-
tinere possunt. Neque aliud quid exspectari
poterat a **P A R E N T E O P T I M O**, in quo vivum
virtutis exemplar mihi semper intueri licuit.
Ductus **T V O** consilio vitam academicam nunc
finio, atque in eo sum, vt propediem cathedram
publicam conscendam, dignitate Doctoris Me-
dicinae exornandus. Officio meo deessem, si
ista occasione sollempni non recolerem memori-
am paternorum beneficiorum. Et quo id alio
modo fieri potest, quam summo cum feroore
animi, reuerentiae et pietatis erga **TE** plenissimi.
Serena fronte iam accipe, **V I R E X C E L L E N T I S-**
S I M E, paginas hasce inaugurales, quas Nomini
T V O sacras esse volui, in publicam grati ani-
mi mei testificationem, meque vltiori **T V A**
benevolentia prosequere. Seruet **TE D E V S T.**
O. M. per longam achuc seriem omni felicitatis
genere

genere florentissimum, in Reipublicae emolumen-
tum, domusque Tuae commodum! Ita
ex animo precatur

**VIR EXCELLENTISSIME,
AMPLISSIME, DOCTISSIMEQUE,**

PARENTS AETERNUM COLENDE,
T VI

Dab. in Regia Fridericana

D. VIII. Cal. Octobr.

A. R. S. M DCC LVI.

OBSERVANTISSIMVS FILIVS

DANIEL FRIDERICVS SCHIFFERT.



DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
DIFFICVLTATE PARIENDI
EX MALA CONFORMATIONE PELVIS.

PRO O E M I V M.

Operationibus saepe opus est in corpore humano adhibendis, quando morbi, quibus illud adfligi solet, tolli debent. Istarum iam operationum cognitio ad Chirurgiam pertinebit. Vnde efficitur, Medicinam practicam Chirurgia carere non posse. Quoniam vero ars obstetricandi adlicatione illarum operationum absoluitur; quarum beneficio facilior foetus ex vtero exclusio promonetur:

■ ■ ■

uetur: eandem quoque ad Chirurgiam referri debere simul elucescit. Ex quo itaque adparet, artem obste- tricandi scitu esse necessariam Medico, idque eo ma-
gis, dum in plerisque locis huius artis exercitium in-
cultis atque imperitis feminis committitur, atque ideo
sanitati sexus sequioris prob dolor! male prospicitur.
Factum inde est, ut Medici magni nominis artem istam,
adeo proficuum generi humano, non solum cultiorem
reddiderint, verum etiam ipsi eandem exercuerint,
ut idcirco L. B. mirum esse nequeat, quod, pro Gra-
du Doctoris Medicinae consequendo disputaturus, Speci-
men inaugurale exhibeam, in quo argumentum quod-
dam tractatur, quod vulgo ad artem obstetriciam re-
ferri solet. Est vero eximiae vtilitatis, in exercitio
artis obstetriciae scire impedimenta, foetus egressum
ex vtero retardantia. Atque horum impedimento-
rum non exigui ponderis est illud, quod ex mala
peluis seminarum conformatione suboritur, et
cuius pertractionem iam adgredimur. Faxit
DEVS feliciter!



§. I.

§. I.

Varia sunt illa *impedimenta*, teste experientia, quae parturientibus circa exclusionem foetus oboriri solent. Quodsi iam istorum impedimentorum ratio vnicet sita fuerit in certa compositione pelvis, *buius* iam *conformatiōnē malam* indeque necessariam fore *difficultatē pariendi* sine dubio concedi poterit.

§. II.

Argumenti itaque pertractandi natura postulat, ut nunc *pelvīm feminarū* paulo curatius contemplemur. Nam ita perquam distincte cognosci poterit, quoniam praecipue pelvis vitio istae in pariendo difficultates nascantur.

§. III.

Docet Anatome, pelvīm, cavitatem illam ossam, ex octo ossibus, peculiari modo inter se iunctis, constare. Pertinent huc *os̄a innominata*, ex tribus aliis ossibus, *ilio* nempe, *ischio* et *os̄e pubis* composita, atque ex vtroque latere sita, ut idcirco dicta modo os̄a ad numerum sexenarium redeant, quibus iam *os̄ sacrum*, tanquam septimum, tandemque octauum, *os̄ putra coccygis*, accedunt. Horum omnium ossium, pelvi formandae inseruentium, indoles et modus, quo inter se cohaerent, quantum ad scopum praesentem spectat, considerari debebunt.

B

§. IV.

§. IV.

Os ilium, iscbium et pubis utriusque lateris, in quae iam resolui solent ossa innominata, quae ab antiquis Anatomicis nomine *coxarum* insigniri solebant, concurrunt ad formandum acetabulum ossis femoris, et iunguntur anterius cum osse pubis ope firmae cuiusdam cartilaginis. Atque eodem quoque modo nixa esse deprehenditur ilii pars posterior cum parte ossis sacri laterali. Ab istis nunc modo enarratis ossibus constituitur pars pelvis anterior et lateralis, cuius iam pars posterior efficitur ab osse sacro et coccygis.

§. V.

Os sacrum ex aliquot frustulis constare comprehenditur, quae speciem vertebrarum mentiri videntur, et differunt partim numero, partim etiam aliis qualitatibus. Quatuor plerumque eiusmodi frustula reperiuntur, interdum vero quinque. Cartilagineae naturae sunt in recens natis; unum cum alio cartilaginis beneficio cohaeret in iunioribus; tandem firma fiunt atque inter se coalescent in aetate proiectiore. Notanda hic etiam erit firma illa articulatio, quam os sacrum auxilio cartilaginis, tam ex utroque latere cum ossibus innominatis, quam etiam inferius cum osse coccygis subit.

§. VI.

Introrsum vero reflectitur hocce os coccygis,
quod

quod figuram triangularem refert, cuius basis conne-
xa esse obseruatur cum osse sacro. Neque vna indo-
les est huius ossis in corporibus diuersarum aetatum.
In infantibus enim sub specie cartilaginis appetat.
Sed ista cartilago succedente aetate magis magisque
indurescit, naturam osseam induit, ita, vt inde tria
aut quatuor ossicula fiant, cartilaginibus plerunque
distincta. Nam in senio instar vnius appetat, et im-
mobile est, dum sua adhuc mobilitate non destitu-
tum esse deprehenditur in corporibus consistentis
aetatis.

§. VII.

Cavitate pelvis duae generatim attribui solent
aperturae, *superior* nempe et *inferior*. *Superior* apertu-
ra efformatur a cristis pubis, ab ossis ilium linea emi-
nenti, semicirculari, sive innominata, nec non a pri-
ma vertebra ossis sacri. *Inferior* autem apertura na-
scitur ex ossium pubis arcu, horum aequa, ac ossium
ischii ramis, ossium ischii tuberositatibus, ligamen-
tis sacro-ischiadicis, tandemque osse coccygis.

§. VIII.

Ambae istae aperturae pelvis instar ambitus el-
liptici concipiuntur. Erit iam aperturae superioris
diameter maior ab uno ossium ilium ad alterum, mi-
nor a coniunctis ossibus pubis ad os sacrum. Sed in-
ferior apertura ibi diametro sua maiori gaudebit, vbi

B 2

ab

ab uno ossium ischii ad alterum linea ducitur; et minori, descripta linea ab arcu ossium pubis ad os coccygis. Harum aperturarum superior, maior esse obseruatur inferiore.

§. IX.

Magna profecto illa est differentia pelvis, quae deprehenditur, habita ad sexum ratione. Praecipua eorum, quae hac de re dici possunt, eo iam redibunt. Ilia, quoad sui latitudinem, in sexu potiori magis apparent eleuata et arcuata, in sexu autem sequiori plus reflexa et expansa inueniuntur. Magis acutus est ille angulus, quem arcus ossium pubis in sexu potiori format, dum ille obtusus esse in feminis obseruatur. Feminis os sacrum latius et rectius, maribus angustius plusque incuruatum est. Os coccygis feminarum in rectum magis exporrigi et maiori mobilitate praeditum esse deprehenditur, quam virorum, qui eodem magis incuruato et immobili gaudent. Porro inter ischii tuberositates et femora in sexu sequiori maior quaedam distantia obtinet, quam in sexu potiori. Et quod tandem ad aperturas pelvis feminineae adtinet, illae amplitudine sua superant eas, quibus instructa est pelvis masculina.

§. X.

Quae in §. anteced. de differentia illa prolata sunt, quae pelvum utriusque sexus intercedit: sea lumen-

culenter probare possunt, quod pelvis seminarum faciliorem maioremque sui dilatationem admittat. Unde foetus ab illis satis commode gestari, suoque tempore in lucem edi poterit.

§. XI.

Atque id iam fit in plerisque casibus parturientium. Nonnunquam tamen accidere potest, ut ob extraordinariam quandam pelvis structuram foetus excludi nequeat, et casus quidam partus praeternaturalis inde oboriatur: prout idem *ex infra* dicendis patebit.

§. XII.

Tres altitudines pelvi assignari solent. Prima eius altitudo aestimatur a prima vertebra ossis sacri, vel potius a cartilagine illam aequa, ac ultimam lumbarem intercedente, usque ad apicem ossis coccygis, atque ad sex pollices accedit, imo etiam septem, quando nempe os coccygis extrorsum reflectitur. Haec ergo pelvis altitudo omnium maxima habetur. Hanc secunda excipit, metienda ad synchondrosis ramorum ossium pubis, quae minima esse putatur, dum reddit ad duo pollices. His media adhuc pelvis altitudo, quatuor pollicum, additur, mensuranda a tuberositate ischii usque ad lineam circularem ossis illi.

B 3

§. XIII.

§. XIII.

Aperturae pelvis femineae superioris diameter est quinque pollicum et quod excurrit. Apertura vero eius inferior diametro gaudet quatuor pollicum et ultra. Sub ista aperturarum conditione foetum tempore partus in lucem ediderunt feminae, non deficitibus tamen aliis, quae ad pariendi negotium requiruntur. *Conf. celeb. ROEDERER in Elem. art. obster.*
Cap. I. SMELLIE in Art. obster. Cap. I.

§. XIV.

Firmam esse ossium illorum coniunctionem, quae ad formandam pelvum femineam concurrunt, ex illis, quae hac de re in peculiaribus §§. differimus, luculenter apparet. Difficulter itaque fieri poterit, ut ossa pubis sub partu disiunctionem quandam patiantur, et pelvis ipsius ampliatio hoc modo in parturientibus contingat. Est haec quidem communis fere sententia artem obstetriciam facientium, negari tamen nequit, quod de hac re aliter iudicent recentiores eiusdem artis scriptores. *Conf. celeberr. ROEDERER et SMELLIE l. m. c.* Neque idem aliter fieri potest. Disiunctis enim ossibus pubis tota scala vertebrarum punctum suum fixum amittere, et os sacrum, nisi ope ligamentorum cum pelvi firmiter cohaereret, intra ossa femoris deprimi deberet. Ruina tunc toti truncu imminaret, et quanta haec calamitas foret! Non exigua est porro vis muscularum adductorum femoris,

ris, vt, dum pelui inseruntur, haec iam distorquere-
tur, suborta illorum intensiore actione, si id modo
ob partis firmiorem structuram liceret. Necessario
etiam fieri deberet, vt, si ista ossium pubis disiunctio
possibilis foret, feminae tunc nunquam liberae essent
a doloribus sub obambulatione. Quibus iam omni-
bus experientia refragatur. Accedit, quod ne duo-
rum quidem robustorum virorum vis sufficiat, ad
disiungenda ossa pubis. Prolata haec tenus argumenta
suo non carere pondere existimo, ad euincendum,
quod pelvis in negotio pariendi non possit ampliari
per disiunctionem ossium pubis. Vnde iam porro
conficitur, quod pelvis parturientium non nisi ad sui
inferiorem aperturam dilatari possit, os coccygis
reclinato.

§. XV.

Quamuis ea omnia, quae de pelui feminea eius-
que altitudine, aperturis, harumque certa ad se ratio-
ne in superioribus prolata sunt, in plerisque casibus
locum inueniant. Docuit tamen experienta, fidissi-
ma illa veritatis magistra, quod hac in re nonnun-
quam exceptiones subortae fuerint. Inde enim con-
stitut, quantopere interdum structura pelvis feminea
ab illa recedat, cuius descriptionem antea in peculia-
ribus §§. suppeditauimus, dum modo ossa pubis ad
angulum acutum exporrigebantur; modo ossa ischii in-
trorsum valde reflecebantur; modo os sacrum in-
trorsum vehementer prominebat; modo os coccy-
gis

gis immobile valdeque rigidum deprehendebatur, vna cum angustis aperturis.

§. XVI.

Quodsi iam istorum incommodorum, quae in §. anteced. enarrantur, aliqua puerperae obtingunt: maximum fine dubio in eadem nascitur impedimentum, quo minus ab illa foetus in lucem edi possit. Quum enim fieri nequeat, vt per modum diductionis ossium pubis pelvis amplietur, vtpote cuius dilatatio ordinaria in casu proposito, ob malam partis compositionem, non potest obtineri: irrita tunc erit foetus exclusio. Atque haec est difficultas in pariendo insuperabilis.

§. XVII.

Ere iam erit, vt hic etiam de signis differam, ex quibus ista malae notae conformatio pelvis dignoscitur. Est enim id praecipuum, quorundam artem salutarem facientes animum suum conuertere debent, vt qualis et vnde ortus sit morbus prius intelligent, quam illius sanationem adgrediantur. Nam sine huius rei cognitione facilis esse poterit error in applicacione artis salutaris, qua tunc misero magis noceres, quam quidem prodessey. Cognoscitur exinde inter alia istud vitium pelvis supra descriptum, si lumbares vertebrae modo introrsum, modo extrorsum valde flexae apparent; si femina exigua vi incedere, atque inter

inter progrediendum vacillare videtur, absente tamen alia cauſa; ſi denique ope tactus deprehenderis, aper-turam peluis inferiorem valde angustatam eſſe.

§. XVIII.

Ad cauſas tanti mali quod attinet, illae diuer-sae quidem ſunt, ſed huc iam fere omnes referri po-terunt. A prima conformatio[n]e partium corporis noſtri ſaepe iſti naeuī in illarum compositioniſ mo-do ſuboriri ſolent, id frequenter docentibus obſer-uatis. Quid igitur obſtabit, quo minus inde huius vitii cauſa ſaepius deriuari debeat? Quoniam etiam infantum teneriorum oſſa valde mollia, valdeque apta ſunt ad recipiendas mutationes, quae iſpis a com-pressionibus inducuntur, vnde illorum figura et ſitus ſat grauitate alteratur, quemadmodum id iſpſum multi-plici obſeruatione edocti cognoscimus: fieri poterit, vt indicati vitii cauſa peti poſſit a mala geſtatione pueræ, a caſibus ab alto, et quae hic plura recenſenda forent. Rhachiticis infantibus oſſa ſunt admodum debilia, vt plane emollescant. Saepe contingit vt in iſto malo naſcantur luxationes, iſpſaque oſſa incur-uentur. Neque infrequens eſt, vt miſeriſ iſtis caries ſuboriantur, a qua oſſa in putrilaginem resoluuntur, variorum aliorum incommodorum cauſam. Quodſi jam iſti effectus rhachitidis peluim tenerae pueræ ad-grediuntur, facile inde fieri poſſe patet, vt praedi-ctum vitium peluis hoc modo contrahatur. Ingens quoque eſſe folet illa in oſſibus efficacia, quam mor-bi

vbi a putrida fluidorum constitutione orti patrant, exemplo huius venereae. Meretur huc referri mala illa pelvis feminine conformatio, quam Berolini vidi in scholis celeberr. MECKELII, *Praeceptoris mei aestimissimi*, vbi ob luem venereum praegressam tanta pelvi angustia inducta fuit, ut ne spatium quidem trium digitorum ambiret.

§. XIX.

Ex nimia ergo pelvis angustatione malam eius conformatioinem aestimandam esse, indeque difficultatem ad pariendum necessario consequi debere, satis luculenter declarauimus. Considerandum nunc porro erit, utrumne alio etiam vitio pelvis difficultates istae pariendi suboriri possint. Quod ut rite perficiatur, nonnulla hic ex anatomicis erunt repetenda.

§. XX.

In pelvi, intra intestinum rectum et vesicam vri-
nariam, continetur uterus, habitaculum illud, quo
foetus in lucem edendus per nouem integros
menses solares vtitur. Vteri figuram vel pyro, vel trian-
gulo sphaericō similem esse contendunt. Diuisio illius
est in fundum seu basin, corpus, et collum sive cer-
uicem. Ad fundum vteri referunt Anatomici partem
eius superiorem, qua cavitatem abdominis magis re-
spicit. Collum vteri constituit eius pars angusta at-
que fundo opposita. Id omne igitur corpus erit vte-
ri

ri, quod inter eius fundum et ceruicem habetur. Ex ea parte, qua vterus intestinum rectum attingit, depresso est; ibi vero conuexitate quadam praeditus esse deprehenditur, vbi vesicam vrinariam respicit. Prominet vterus rima quadam transuersali, quam orificium eius *externum* dicunt, in vaginam, canalem vsque ad genitalia externa exporrectum. Pro diuersa subiectorum conditione non exigua quoque diuersitas obtinet in magnitudine et capacitate vteri. Multum enim hic valent aetas, augmentum corporis, vhus Veneris. Integerrimae enim virgines vterum habent compactum, angustum, multoque minorem illis, quae iam vel partum aliquoties ediderunt, vel Venereis rebus nimium deditae sunt. Grauidis vero vterus ad ingentem crassitatem increscere solet, quamuis etiam simul extendatur. Necessarium etiam hoc esse videtur, dum ingens copia vasorum sanguineorum per vterum dispersa est, quae tortuoso itinere ductaque serpentino, beneficio telae cellulose, conuoluntur, atque inter se per anastomosin vniuntur. Praeter hanc modo enarratam fabricam vteri, quae a pluribus aliis partibus in corpore singulatius distinguit, notari adhuc meretur, quod illum quoque copiosissime ingrediantur rami nervi, originem suam ducentes a pari intercostali, ossis sacri, vt et a ramo mesaraico. Vnde facile liquet, quod haec pars etiam summe sensibilis esse debeat.

§. XXI.

Bene etiam vtero natura prospexit, dum eundem ligamentis quibusdam instructum esse voluit, ut in situ suo, quem iam in §. praeced. descripsimus, contineri possit. Vocantur illa ab anatomicis *rotunda* et *lata*. Ligamenta vteri rotunda fasciculos vasorum exhibit, et ab eius parte superiori proueniunt, atque in pinguedine ad inguen et ossa pubis terminantur. Sed ligamenta lata a peritonei duplicatura profiscuntur, inde ex utroque latere tubas Fallopianas ambient, hinc ad latera pelvis et ovaria exporriguntur, quibus mediante tela cellulosa adnectuntur.

§. XXII.

Quoniam ligamenta vteri quoque ad peluim extenduntur ibique annectuntur, id exponente §. praeced. fieri poterit, vt illa in casu pelvis supra modum ampliae extendantur, insimulque haud parum debilitentur. Vnde iam uterus in situ suo difficulter contineri poterit, sed potius ad descendendum cogi debet. Ex quo necessario vteri prolapsus consequatur, oportet, quem inter impedimenta partus excludendi iure meritoque referunt artis obstetriciae auctores. Nam ita, ob vterum in sui vaginam nimis prominentem, ingentes ibidem efformantur plicae, transitum foetus impeditentes. Per se autem patet,

me

me hoc loco simplicem vteri prolapsum intelligere, distinguendum ab illo, qui simul stipatus est vteri inuersione. In isto enim casu partus ex vtero egreditur, vel plane eiicitur, licet, intuitu puerperae, cum maximo vitae discrimine.

§. XXIII.

Satis iam euidenter ex §. praeced. liquet, quantum pariendi difficultatem possit inferre nimia peluis amplitudo. Quamuis enim inde suborta pariendi difficultas cum illa, si rei grauitatem spectas, comparari nequeat, quae nempe originem suam debet pelui nimis angustatae: Nihilo tamen minus saepe contingit in artis obstetriciae exercitio, vt hic quoque foetus frustatum eximi debeat.

§. XXIV.

Dignoscitur iste casus parturientium ope manus exploratricis in vaginam vteri immissae, vt de ampliatione peluis et plicarum conuolutionibus constet. Quae tandem de causis huius mali hic dici possent, ea quoque reduci poterunt ad dicta in §. XVIII.

C 3**§. XXV.**

§. XXV.

Et sic absolutis illis, quae ad theoriam argumenti nostri pertinebant, ea nunc subiungenda erunt, quae eius partem practicam respiciunt.

§. XXVI.

Quod itaque iam ad casum illum attinet, vbi nimirum vitio peluis, supra modum angustatae, foetus exclusio plane est impossibilis: tunc eius exemptio alio modo procuranda erit. Prostant hic duae viae ad istum finem obtainendum: Foetus nempe vel in partes disseccetur, vt vnum frustum post alterum extrahi possit; vel instituatur operatio illa, quam *partum Caesareum* vulgo vocare solent, vt per cruentam abdominis aperturam foetus ex vtero eximatur. Atque hoc ultimo modo fieri poterit, vt, si tempestive adhibeatur, vita foetus conseruetur.

§. XXVII.

Quae praeterea cautelae circa indicatas in §. anteced. operationes chirurgicas locum inueniant, aut quibus instrumentis opus sit, ad easdem perficiendas: non est, vt istarum rerum enarrationi immorer. Illarum enim intuitu euolui poterunt scripta

p[ro]ptera illorum Auctorum, qui artis chirurgicae et ob-
stetriciae solita pracepta perspicue tradiderunt.

§. XXVIII.

In causa autem difficilis partus ob vitium pelvis nimis ampliatae, summa agendorum eo redibit. Fascia ad partem abdominis inferiorem circumducta, vteri prolabentis eleuatio tentanda, magisque iuuanda erit manu, in vaginam vteri immis- ta. Post perfectam vero foetus exclusionem pessariis vterinis concedendus erit locus, simulque in vsu vocentur alia, quae rationi conformis methodus medendi prolapsui vteri praecipit. Sicuti etiam usus istorum remediorum tempestiuus grauidis, vitio pelvis valde ampliati obnoxii, per quam salutaris erit, antequam ipsis tempus parienti di proximius immineat. Quando tandem in ipso actu pariendo omnia incassum adhibita fuerunt, quae spe eleuandi vteri suscipiebantur: nullus iam aliis modis supererit, iuuandi puerperam, quam ut mediante operatione eidem foetus eximatur.

§. XXIX.

Dura quidem esse videntur ista consilia, in causis puerarum in §§. proxime antecedentibus proposita, sunt tamen illa rationi plane conformia. Neque

que aliter consuli poterit rebus eiusmodi feminarum, tantas calamitates effugere volentium, quam ut animum abiificant cum mare congregrediendi, atque apud se reputent, se non esse natas ad foetum conceptum expeditius excludendum.

§. XXX.

Non defunt tandem in quoconque partu diffili varii effectus, qui inde in corporibus puerperarum dependent, atque sub specie modo illius morbi comparent, quemadmodum id pluribus ex pathologis constat: unde necesse erit, vt rem puerperarum recte acturus, ad istos effectus probe attendat, morbos imminentes praecaveat, ortos iam tollere studeat, methodumque medendi in casibus obuiis necessariam congrue applicet. Atque ita iam Dissertationi meae impono finem, subiunctis eidem nonnullis Corollariis.



COROL-



COROLLARIVM I.

Non datur corpus humanum sānum per eminentiam tale.

II.

Homo necessitate physica moritandem debet.

III.

Fluxus catameniorum non est summe necessarius ad feminarum foecunditatem.

IV.

Actio neruorum, per modum

D cor-



corporis cuiusdam elastici et trementis, illorum modo compositionis repugnat.

V.

Bilis cystica nihil aliud esse potest, quam bilis hepatica immutata.

VI.

Caussa rubedinis, qua sanguis humanus gaudet, ex parte petenda erit a terra martiali, eidem admixta.

VII.

Sine morbi huiusque caussarum ana-

analyſi instituta vsque ad effectus
ſimpliciſſimos, qui inde in corpore
humano produci poſſunt, imposſibi-
lis eſt doctrinae pathologicae diſtin-
cta cognitio.

VIII.

Datur viciflitoſ cauſarum mor-
bi, ob quam morbus et perdurare, et
mutari poteſt.

IX.

Partus caesareus ſaepe minori
periculo gaudet, quam illa operatio,

D 2 qua

qua mediante foetus in frusta disse-
ctus ex vtero extrahitur.

X.

Inplantatio variolarum ea cum
cautione instituta, qua opus est, si
inde finis, qui intenditur, obtineri
debet, non repugnat methodo me-
dendi rationali.

SUPRE-

* * *

SVPREMORVM IN MEDICINA HONORVM
CANDIDATO

S. D.

D. ADAMVS NIETZKI.

Instat iam dies laureandae diligentiae TVAE, DOCTISSIME CANDIDATE. Non potui igitur non TIBI applaudentium numero accedere, et publico quodam testimonio probare, quantum gaudii, quantumque delectamenti inde percipiam. Siue TE enim vt ciuem, vt auditorem, vt amicum meum considerem, siue apud me ipsum reputem, quod Opponentis manus mibi demandaueris: haec iam omnia sufficere possent, ad id officii genus a me exigendum, quod TV iam iure quodam alio peculiari a me postulare potes. Nostri nempe, PRAESTANTISSIME CANDIDATE, animum meum litteris elegantioribus in prima iuventute imbutum fuisse, hoc negotium dirigente EXCELENTISSIMO PARENTE TWO, viro de Republica meritissimo, cui iam DEVIS semper bene velit! Dum istorum OPTIMI PARENTIS TVI in me meritorum memoriam nunc apud

D 3

me



me excitari sentio, singularem simul quoque in me percipio animi affectum, quo impulsus TIBI iam bene dico. Gratulor igitur TIBI, CANDIDATE DIGNISSIME, de summis illis honoribus in Medicina, quos in TE propediem conferendos decrevit AMPLISSIMVS MEDICORVM ORDO IN REGIA FRIDERICIANA! Gratulor VENERANDO PARENTI TVO de filio tam praeclarae indolis! Faxit DEVS O. M. vt ista honorum academicorum acquisitio in TVI ornementum et commodum, multorumque aegrotantium salutem cedat! Quid supereft, abs TE maiorem in modum peto, ut me in posterum quoque amicitia TVA prosequaris, TIBIQUE etiam atque etiam persuades, me nunquam esse admissurum, ut in TE amando ornandoque me quis alius superet. Vale! Dab. in Acad.

Frider. VIII. Calend. Octobr. A. O. S.

M DCC LVI.

PRAE-

* * *

PRAENOBILISSIMO

DOMINO CANDIDATO

SVMMIS HONORIBVS ARTIS SALVTARIS DIGNISSIMO

AMICO SVO PERQVAM DILECTO

S. D. P.

IO. AVGVSTVS LIEBMANN,

HALENSIS, OPPONENS.

Eo lubentius dissentientis prouinciam, abs TE peramice mihi de-
latam, in me suscepi, quo maiori semper perfundor laetitia,
si virtutibus stipendia facientibus, indefessaque industria ad litteras in-
cumbentibus iustam mercedem offerri videam. Qua quidem de cau-
sa insigniter mihi gratulor, quod testis nimirum esse queam praemio-
rum propediem **T I B I A B I L L V S T R I M E D I C O R V M O R D I-**
N E deferendorum. Optime eadem es promeritus. Tantum enim
abfuit vt solummodo in patria, quae Regiomonti floret, Academia,
litteris operam nauandam esse autumaueris, vt potius Berolini intimi-
ora anatomie, chirurgiae artisque obstetricariae penetralia rimari sum-
mo studio et feliciori omne allaboraueris. His optime imbutus, in
floren-



florentissima hacce Musarum sede animum **T V V M** iis omnibus,
 haud inuita Minerua, subegisti, quae Medicum reddunt perfectiorem.
 Absoluto, hac ratione, stadio **T V O** academico, adornatoque pro-
 fectuum **T V O R V M** egregio Specimine, ex quo vel solo dexteritas
T V A sole elucet meridiano clarus, lauro doctorali dignus haberis.
 Vade iam hac exornatus patriosque secundis auspiciis revise penates.
 Cede in summe venerandi **P A R E N T I S T V I** delicias, patriae orna-
 mentum, rei litterariae incrementum, et in aegrotantium solamen.
 Me vero amicitiae **T V A E** de meliori habeas commendatum. Vale.

Dabam in Regia Fridericiana. D. VIII. Cal. Octobr. A. P. P. V.

M D C C L V I.



01 A 6602

ULB Halle
002 932 512

3



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8
7
6
5
4
3
2
1
Inches
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
Centimetres
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

DISSESSATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE

DIFFICVLTATE PARIENDI
EX MALA CONFORMATIONE
PELVIS

QVAM
DIVINI NVMINIS AVSPICIIS
CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM
P R A E S I D E

VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO

D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,

POTENTISSIMI PRVSSORVM REGIS CONSILIARIO INTIMO,
MEDICINAE ET PHILOSOPH. NATVR. PROFESS. PVBL. ORDINAR.
IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
ET COMITE PALATINO CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS

RITE CONSEQUENDO

DIE XXIV. SEPTEMBRIS CLOCCCLVI.

H. L. Q. S.

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PUBLICE DEFENDET

AVCTOR

DANIEL FRIDERICVS SCHIFFERT

REGIOMONTO-PRVSSVS.

HALAE. AD SALAM

E T Y P O G R A P H E O C VRTIANO.

